



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

In festo SS. Petri & Pauli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

magis lucet. Abacuc. 3. juxta LXX. *Exaltatus est Sol & Luna
stetit in ordine suo.* Sol quo magis recedit à terra, magis calefa-
cit, vivificat, ut patet æstate, initio pauci credebant, postea
multi. Jam ascendit in cœlum, si pervenit una ad portum na-
vis, spem bonam habent & alia. Si Dux evasit in arcem à se
oppugnatam sperant & milites. Job. 36. *Ut annuntiet de ea ami-
co suo, & quod sit possessio ejus, & quod possit ad eam ascendere.* Mi-
cheæ. 2. *Pandens iter ante eos.* Cyrill. lib. 5. de orat. *Primus
ascendit ad Patrem instaurans nobis aditum ad cœlum.* Sicut arca
ad Jericho & per Jordanem. Jam ergo, *Quæ sursum sunt sapite,*
&c. Isai. 49. *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non
miseretur Filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego non obliviscar
eui.* Sed Pf. 23. *Quis ascendet in montem Domini, &c. Innocens ma-
nibus, &c. Quid itatis aspicientes, quid otiamini?*

In Festo SS. Petri & Pauli.

Ædicaturus Moyses tabernaculum, assumpsit artifices
Beseleel & Oliab. Aug. in Pf. 41. *Tabernaculum Christi in
terra, est Ecclesia adhuc peregrinans.* Faldensis, Beseleel & Oliab,
sunt Petrus & Paulus, qui duo ædificârunt Ecclesiam Christi. Bese-
leel idem est ac umbra DEI, Oliab, protectio Patris. Umbra
DEI Petrus, umbra Petri sanabat ægros, Umbra. *Beatus es Si-
mon Bariona, hoc est Filius columbæ.* Christus DEI Patris Spiritus
S. columbæ. Hieron. l. 3. in Matth. 16. *Ex confessione sortitur
vocabulum, quod revelationem ex Spiritu S. habeat, cujus & Filius
appellandus sit.* Et sic est umbra quædam Filii Paulus, à DEO
in tot periculis protegatur, de utraque S. Maxim. hom. 5. *Cujus
sine meriti Beatissimus Petrus & Paulus, hinc possumus intelligere;
quod cum Dominus Orientis regionem propriâ illustraverit passione;
Occidentis plagam, ne quid minus esset, horum Apostolorum sanguine*

H 2

illumi-

illuminare dignatus est. Hinc quanta spes nostra. Miserat Josue in terram promissionis exploratores, retulerunt ibi esse gygantes, respectu quorum ipsi essent veluti formicæ: si dixissent, quod isti Gygantes adjurari illos erant in occupanda terra illa, quanta fuisset spes? Petrus & Paulus in meritis gygantes, sunt pro nobis in expugnando cælo, quia ipsi ædificant Ecclesiam. Dum Petrus Romæ moraretur, ut est in actus ejus passionis, adstiterunt illi Angeli cum rosæ & liliis, & Christus cum libro aperto, quasi diceret, quod inseribam libro vitæ tam Martyres quàm Confessores, per te id factum. De Pauli abscisso collo fluxit lac in signum ejus, quod Ecclesiam lactaverit ut adolesceret. Quantus verò gygas Paulus, audit Chrysof. in præm. epist. cap. 4. *Paulus omnium virtutum fuit arca, adeo ut etiamsi quis contra eum rotam justorum eborum sigillatim appendat, inveniet trutinam virtutum ponderibus à Pauli parte depressam.* Paulus Docteur Gentium, Petrus caput Ecclesiæ, Pauli circa Ecclesiam labores describit Chrysof. hom. 4. de ejus laud. *In tantum virtute progressus est, ut vix triginta annorum spatio, Romanos & Persas, Parthos & Medos, & Indos: Scythas & Athyopes: & Sauromatas, & Saracenos, & omne profus humanum genus sub jugum mitteret veritatis.* Ambo Ecclesiæ protectores: ambo stiterunt persecutionem Ethnicorum dum M. Constantino apperuerunt: ambo S. Leoni contra Attilam strictis gladiis adstiterunt ut Baron. tom. 6. Scribit Fabianus Justinianus Episc. Adiacen. in cap. 4. Tobie. In Corsica in mea Diæcesi sunt morbi qui jumenta invadunt, & si unum iis corripiatur, omnia pereant, est verò templum S. Petri ad Melam oppidum, cujus si clavis uni jumento appendatur, omnia sanantur. Ita verificatur, *Homines & jumenta salvabis.* Uno verbo sunt isti duo, columnæ duæ quæ ducunt populum per desertum: Paulus ignea, quia Gentium noctem illuminat: Petrus columna nubis, quæ De